

Folium .xliv.

De peccato originali s'm nomen.

Capitulum .xi.

Originale peccatum habet multa nomina et hoc multiplici rōe. Secundum enim quod originale peccatum comparatur ad animam vocatur infirmitas. quia reddit animam impotentem resistere diuinitatibus. Item feditas quia per ipsum anima maculatur. Item pernicietas quia per continuam inclinationem appetitus ad malum. Item corruptio. quia ducit ad nihilum. id est ad peccatum. Item viciū. quod est diminutio bonorum naturalium. Item languor nature. quia durat in natura corrupta. Habet etiam nomina secundum quod comparatur ad corpus. quia vocatur lex carnis eo quod lege diuina carni sit inflictum. Item lex membrorum. quia mouet organa ad opera concupiscentie. Item tyrannus propter dominationem. quia violentia in ipsa concupiscentia. Item fomes quia sicut cinis fouet ignem ita per ipsum fouetur peccatum in carne s'm actum nutritiue et generatiue. Item stimulus carnis quia stimulat carnem ad primos motus et ad animum et ad consensum. Habet quoque nomina prout comparatur ad actus delectabiles. s'm hoc vocatur concupiscentia que sonat viciū in actu prout est viciū in adultis. Item concupiscentia que sonat viciū in potentia prout est in paruulis. Habet etiam nomen s'm quod comparatur ad primum hominem a quo contrahitur. sic vocatur peccatum originale. quod est carentia debite iusticie.

De primis motibus.

Capitulum .x.

Primo peccatum aliud sit actum aliud contractum. Ipsum peccatum actuale frequenter habet ortum a primis motibus. Non sciendum quod in statu innocentie non moueretur sensualitas nisi s'm motum rationis. Ideo stante homine non poterat in eo esse peccatum etiam veniale. Nunc autem quia sensualitas rationi repugnat. Ideo per primos motus necesse habemus committere peccatum veniale. Primi motus tamen particulariter et sigillatim possunt declinari omnes tamen nullo modo possunt cauere. quia sic sunt peccata quod sunt etiam pene peccati. Et ideo merito dicuntur venialia quia hoc ipso sunt digna venia. Primi motus sic describitur quod omnis motus sensualitatis s'm impulsus fornicis impetuose tendens ad fruitionem creature delectabilis. Duplex motus distinguitur quod tunc spectat ad presentem materiam. scilicet primo primus qui est naturalis. et secundo primus qui est sensualitatis. Cum ergo loquitur de primis quod sunt peccata intelligendum est de secundo primis. quod primo primi non sunt peccata cum sint naturales et extra genus moris. Quod patet per hoc quia non sequitur ymaginationem sed solummodo naturalium qualitatum actionem. Motus autem secundo primi sunt peccata quod sunt actus inordinati in genere moris. quod patet per hoc quod tales motus sunt sensualitatis que subiacet in talibus dominio voluntatis. Voluntas autem